

Teudemar, dux noster, nostram humiliter postulans celsitudinem, quatenus in Cenetense castro nostro episcopalem sedem faceremus episcopumque ibi consecrare permetteremus. Nos vero canonicae auctoritatis reminiscentes, quia, ubi plebs crescit, episcopum ordinandi licentia est, adhortavimus eum ut accederet ad patrem nostrum bone memorie Iohanem scilicet patriarcham, ut de hac causa juxta sacros canones ordinaretur. Qui, dum insimul inde colloctiones habuissent, in jamdicto Cenetense castro episcopum, Valentinianum nomine, consecravit patriarcha. Post hoc autem factum idem Valentinianus nostram presentiam adiit, humiliter nos obsecrans ut ei confirmare et corroborare plebes et parrochiam, quae Opitergine sedi pertinuerunt, dignaremur, quod nos ita fecimus. Postmodum vero Calistus patriarcha et ipse Valentinianus, altercationem de ipsa parrochia inter se habentes, venerunt in nostra presentia. Dicebat enim jamdictus Valentinianus episcopus: «Ego quidem in sede Opitergina episcopus sum consecratus, et ideo parrochias eidem sedi pertinentes habere et tenere debeo, quas occupatas tenetis tam vos quam Tarvisianus episcopus et Pataviensis». Cui e contra Calistus patriarcha respondebat taliter: «Si tu in sede Opitergina episcopus es consecratus, non solum hac parrochia carere debes, verum etiam a sacerdotali ordine merito es deponendus. Quoniam episcopus Opitergine civitatis, sede destructa, in quadam insula latitans vivus erat, quando tu presulatus honorem sumpsisti». Et dum hec inter se agerent, hanc rationem inter eos diffinire nolimus, sed direximus eos in presentiam beate memorie Petri, Ticinensis ecclesiae episcopi. Tunc demum stetit inter eos, ut laxaret isdem Valentinianus episcopus Calisto patriarche quattuor plebes in itinere suo positas propter viam vel viaticum, uti, quantociens Calistus de Foro Julii ad Ticinense palatium accederet vel regrederetur, inibi servitium haberet, eo videlicet ordine ut post habitum ejusdem Valentiniani haedem plebes ad Cenitense episcopium et successores reverterent suos. Mortuo autem eodem Valentiniano, consecratus est ibi tunc Maximus episcopus a supradicto patriarcha. Sed, antequam consecraret eun-